



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

24 Priuilegia, dato aliquo effectu, an ad alios extendantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

saltem quoad incurrandam pœnam. donec ei legitime intimeretur, eiusque legitimam notitiam habeat, cap. ex parte. de concess. præb. in 6. Quod si nonnunquam dispositio aliqua ignorantes comprehendat, puta cum exprimitur in ea, vt ex tempore data obliget, Glo. in Clem. 2. in verb. Ex nunc de heret. in 6. aut cum ponitur in ea de eum irritans, id solum de annullatione actus, quæ non est proprie pœna, & non de pœna proprie intelligitur, ita Panor. & Fel. in c. 2. de constit.

DECISIO XXIII.

Ex cons. 2. in Nouis, deest in antiq.

24 Privilegia, dato aliquo effectu, quem operantur contra ius commune, ad alios saltem ad eos, ad quos non mouet eadem ratio, extendi non debent, argumen. cap. cum in his. de privileg.

DECISIO XXV.

Ex cons. 3. in Nouis, deest in antiq.

25 Prælati ab Episcopi iurisdictione exempti, & immediate Papæ subiecti, iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos habent. Glo. in Clem. 1. in verb. Proprij. de reb. eccl. non alien. & cum suis subditis ea omnia, quæ episcopus potest, exercere valet.

DECISIO XXVI.

Ex cons. 2.4. in Nouis, deest in antiq.

26 Privilegium fori, quæuis clericis in Minoribus constitutus ante 14. annum sublatum sit, nisi clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui ecclesie de mandato episcopi inseruiant, vel de eiusdem licentia in seminario, vel in schola, aut vniuersitate quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur, privilegio tamen Canonis, cap. si quis sua dente, 17. q. 4. per Concilium Trident. sess. 23. de reform. ca. 6. non priuantur; cum nulla ibi Canonis, sed fori tantum mentio facta sit, & ius antiquum, nisi quatenus ius nouum illud expresse tollit, non censetur sublatum, l. præcipimus. de appellat.

TITVLVS XIX.

De Purgatione vulgari.

S V M M A R I V M.

1 Purgatione vulgari se purgans, vel purgare se volens duellus peccat.

DECISIO I.

Ex consil. 2. (alias) 2. in vtrisque.

1 Diffamatus de crimine iniuste ab alio, & pro fama suæ recuperatione, duello, & iuramento se purgare delibens mortaliter peccat; cap. 1. & 2. de duello, & si de facto id faciat, excommunicationem, & alias pœnas incurrit ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de reform. non solum si duellum solemne fuerit, sed etiam si priuatum, & sine vlla solemnitate patrinorum, aut patronorum, & aliarum monitionum, aut diffidationum habitum; ita Greg. XIII. Extravag. Ad tollendum. c. di. 1582. secus autem si solummodo voluntatem committendi duellum habeat, cumque Tridentinum Concilium vbi supra. neque Papa duella mentalia puniant, sed tantum realia, argum. c. si de homic. Sicut nec occidendi voluntas irregulariter aliquem efficit, sed occisio ipsa realis, c. si aliquis de homicid. Talis autem excommunicatio maior per duellum solemne incurrit, per Tridentinum, & etiam per Pium IV. Extravag. Ea quæ edit. Ann. 1560. Summo Pontifici reseruata, per præfatam Gregor. XIII. Extravagantem ad duellum etiam priuatum extenditur.

TITVLVS XX.

De iniurijs & damno dato.

S V M M A R I V M.

- 1 Testis iniuste interrogatus, reum non detegens damnum fisco non restituit.
- 2 Res mobiles in bello captae capientium fiunt.
- 3 Pater repetere non potest, quæ ex charitate pro filijs soluit, nisi protestatio præcedat.
- 4 Penitens, qui confessario quid restituendum dedit, satisfecit, donec sciat non fuisse restitutum.
- 5 Mercedem iustam officialibus suis respublica assignare tenetur.
- 6 Officialis, aliquid iniuste accipiens ad restitutionem tenetur.
- 7 Iniuria filij redundat in patrem.
- 8 Damnum datum restituere tenetur, qui alteri suadet, vt creditum solutum exigat.
- 9 Debitor incertorum, si sit pauper, potest illa sibi tanquam pauperi retinere.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 4.

1 Quando pœna iure ipso ob aliquod delictum imposita est, testis legitime interrogatus, & reum non detegens, damnum fisco restituere non tenetur; cum testis ille nulla bona suo falso testimonio auferat fisco, nec causa proxima damni alicuius existit; nec pœna in foro conscientie ante sententiam debetur; ex Glo. recep. in cap. fraternitas, 12. q. 2. Restituere autem non tenetur, nisi qui impedit alium ad querendum id, quo iam habebat ius quaesitum in re, vel ad rem per actionem, vel officium iudicis, ex Nauar. in Manu. c. 17. num. 69. quale in proposito fisco habere non videtur.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 3. de restit. spoliat.

2 Res mobiles in bello iusto, siue iniusto captae, ex tacita quadam Principum conventionione, attenta iustitia belli, quæ ex indictione, & auctoritate suprema temporali facta colligi solet, quamuis alia vera non concurrat, capientium esse censentur, nec postea ab alijs quouis modo recuperatae, Dominis prioribus necessario restituendæ sunt; nisi forte sint res, in quibus locum habet ius postliminij, vt sunt naues onerariæ, & cursus, & bonæ portantes, & trahentes frumenta, & commentum, & alia huiusmodi, quæ solum causa belli, & prælij feruntur, l. 2. & 3. ff. de capt. & l. 2. C. de capt. & postlim.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 5.

3 Sante statuto, vt filius familias nondum emancipatus, si in patris potestate constitutus, propter suum delictum condemnari possit in legitima, quæ ei ex bonis patris deberetur, si tunc pater moreretur, si aliquis filius familias in illa condemnatus sit, & pater mendaciis, & periurijs suis, & amicorum, probet se non habere vlla bona, ex quibus legitima filio debeatur, tenetur ea pater fisco, vel iudici, cui debeatur quarta illius legitimæ, restituere; cum pœna etiam in conscientia post condemnationem debeatur; ex S. Thom. 2. 2. q. 62. c. 4. vnicuique enim ius suum, & sibi debitum reddendum est; l. in iustitia, ff. de iustit. & iure. Nec vlli se, vel bona sua, per mendacia, & periuria defendere licet, ex præcit. S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2. Post tamen pater in partem restitutionis computare ea, quæ filius antea patri ad lusum, & alia illicita subtraxit, & quæ alias soluit propter delictum ad eodẽ filio perpetratum, licet enim repetere non poterit pater quæ ex charitate, & pietate pro filijs soluit, nisi prius facta fuerit protestatio, quod ea animo repetendi impenderit; illa tamen,